

PROPOSITIONES,
ARIANOS,
CALVINIANOS,
SEV SACRAMENTARIOS,

*aliosq; eius farina Hereticos, eviscerantes:
 et, eos Spiritus sancti Organa non esse,*

Ex

*Sacris literis, Lutheri testimonijs ac
 hodierna experientia demonstrantes:*

Collectæ & in lucem æditæ

Per

M. Ludolphum Rolevincum.

Symbol. L. R.

*Est iactura gravis Vita, sed maior Honoris:
 Nam tibi Vita nihil, sic tibi cassus Honor.*

Jerem. 48.

Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.

MAGDEBURGI

Excudebat Vuilhelmus Ross, Anno 1588.



S E N A T U I
VETERIS REIP. SOLTUVVEDELENSIS
amplissimo ac prudentissimo, Ddn. suis & pro-
motoribus obnixè colendis,

Biennium iam, viri ampliss. inter livida & gliscentia invidorum tela me in-
sumsisse, summasq; in pulvere Scholastico molestias devorasse, eventu eti-
am teste, non obscurè videor. Et sanè meipsam facilè consolor, quum per-
petuas me conflictationes cum Hæreticis subire ac sustinere, fati ita immittenti-
bus debere conspiciam. Etenim, quum in Gallijs iter susciperem, incidi in lesu-
itas disputantes in Collegio Friburgensium Harelungorum, & anno post Nuihof-
num: qui posteriores, quum argumentis atq; maximi stipendi pollicitationibus,
si apud eos commorari in animo esset, me non moverent, minas addiderunt. Si-
mili ratione mihi, Genevæ cum Beza colloquente, accidit, cuius molitiones, quas
olim condiscipuli mei, qui erant tunc temporis in domestica eius familiaritate,
significabant, effugi. Quod peregrinationis meæ initium etsi satis asperum erat,
felicius tamè in Gallijs successit, ut Lutetijs parumper tutè delituerim. Hisce quasi
inductis quum aliquandiu fruerer, omnibus me periculis perfunctū arbitrabar,
ut ipsa Hesperiam, omnis amicitatis theatrum, peragrarè me posse non dubita-
rem: verùm Italiae civitas Tarracina eruditiss. viro Ioh. Irmio, Iuris Licent, pro-
pter disputationem cum Papistarum ac Iesuitarum Lerna susceptam, fatalis, tan-
tum nobis reliquis metū iniecit, ut maximo desiderio ac festinatione Germaniam
arripuerimus: inde nos per Vngariam Iaziges accessuros Turca repulit, limitibusq;
patriæ ulterius excedere vetuit. Redi itaq; ad Academiã Vitebergensem, ex
qua ad munus Conrectoris in vestram Scholam vocatus & legitimè adscitus, ijs
invitis, qui suspectos in religione præscriperant, eosq; vocari maluerant, qui ip-
si hac mea narratione, quòd Calvinianis adversatus, nullum ex ijs hausisse vene-
num, perterriti ac moti, maximo in me odio exardescerent, publicè & privatim
me perstringere, convitijs & calumnijs, proscindere ac persequi, multorumq; in
me invidiam conflare & transferre, meiq; tutè iam adversarij, contra iuris natu-
ram, agentes, meam causam, quasi meis nummis conducti, apud quosvis scilicet
prædicare ac promovere, multaq; alia ex aura, quam dolo malo, acquisierant,
contra inermem, ceu labefactum ac pendentem parietem, moliri. Eorum tutela
exemptum meas me vices pro viribus in posterum agere patiantur, nec dubito, om-
nesynceros meæ quoq; asseverationi publ. fidem post hac adhibituros. Discessi
sus mei causa, post muneris resignationem, fuit malevolorum quorundã vis atq;
machinationes, quibus solus resistere, via dudum ad seditionem strata, non valui.
Gratias ago Deo ter Opt. Max. qui incolumem me semper ex inimicis eduxit,
& ereptum liberavit. Toti porro Senatui, cuius patrocini um in multis adversita-
tibus expertus sum, hanc qualemcunq; grati animi significationem offero, & ut
boni consulat, oro: Civibus deniq; universis, quorum grati in me ac benevolã
extiterunt animi, mea studia vicissim defero. Magdeb. 5 Sept. quo die Custrinũ
circiter 9 vespertinam, anno 1556 cœlitsũ vox audita fuit, Væ, væ Christianis.
Deus suos tueatur in vera SVI agnitione, Amen.

Amplis: vestræ
studiofiss.

M. Lud. Rol.

PROPOSITIO

PRIMA.

In hac doctrina Spiritus sancti persona, antequam effectus, quos homines operari videmus, discernantur, diligenter est consideranda.

2. Quod videlicet tertia Divinitatis persona, à Patre & Filio procedens, missa sit, ut sanctam catholicam Ecclesiam convocet, congreget, illuminet, consoletur, & ad aeternam vitam sanctificet, conseruet, Iohan. 15. & 16.

3. Et veritatis Spiritus omnem veritatem docet: arguit mundum, hoc est, non credentes in Deum, seq̄ testimonium de Deo perhibentem non sequentes, Iohan. 16.

4. Absq̄ huius, usq̄ caterarum personarum consideratione vera miserissimi ut videremur, ita revera etiam essemus, aeterna morti addictissimi, Ephes. 2.

5. Quocirca agnitio Trinitatis in unitate non rationis sordibus, sed verbo tantum divino ἀδιαλογισωσ, ἀδιακριτωσ, ἢ ἀδιαλείπτωσ nitens, summus noster Thesaurus, honor, gloria, perfectissima in simplicitate sapientia, radix aeternae vita, imò ipsa vita, largiens remissionem peccatorum, pacem, gaudium, letitiam & consolationem in omnibus miseris, & in ipso mortis articulo, Sap. 15. Iohan. 17. Deut. 4. Psal. 147.

6. Caveamus itaq̄ nobis ab omni dubitatione, perniciosis & Epicureis cogitationibus, securitate & alijs peccatis contra conscientiam, 1. Iohan. 3.

7. Neq̄ nostrae rationis lacunam, quae ἀτελεύτητος est, & tamē μακροφλυαρώδης, sequentes, ea, quae per hunc Spiritum Deus non manifestavit, sed ὀργισικὰ μυστήρια & sacramenta sunt, quae Deus suae omnipotentiae reservavit, curiosè inquiramus 1 Cor. 1. Act. 1. Iob. 4.

8. Neque fluctuemus, & quolibet doctrina vento circumferamur per hominum versutiam, per astutiam, qua nos adoriuntur, ut seducant nos, & falsis rationibus imponant nobis per sermonis probabilitatem, Ephes. 4. Colloß. 2.



9 Sed Christum potius sectemur, sine quo Deum nemo recte agnoscere potest, in quo omnes thesauri sapientia & scientia reconditi sunt, Matth. 11. Ioh. 14. Coloss. 2.

10. Cuius verbum instar lucernae in obscuro loco, Deum, quem nemo unquam vidit, & in luce inaccessiblei & imperscrutabili habitantem, illustrare, nosque ad eundem ducere potest, Psal. 119. 2 Petri 1. Ioh. 1. 1 Tim. 6. Esa. 45.

11. Et quemadmodum illevis oculis Solem intueri non datur, ita Maiestatem divinam nostra ratione metiri neque licet, neque possumus, nisi umbraculum, quod est verbum Dei adhibeamus, & rationi praetendamus. Deut. 4. Proverb. 25.

12. Male itaque faciunt, qui rationis sua sordes sacrosanctis mysterijs immiscunt, neque a Christo Spiritum sanctum, qui eum solus largitur, passione & morte acquisivit, petunt, Ioh. 16.

13. Qui eam ob causam ad caelos ascendit, & ad dextram Dei sedet, ut maxima dona, caelestem unctiorem Spiritus laetitia omnibus credentibus, seque invocantibus fusissime communit, Psal. 68. Ephes. 4. 1 Ioh. 2. Psal. 51. Luc. 11.

14. Christus namque maiori Spiritus mensura perfusus, atque ullius aliquis mortalium, plenus gratiae & veritatis, nos quoque perfectissimo Spiritus sancti oleo humectans, vere unctos reges & Sacerdotes coram Deo efficit, Exod. 30. Esa. 61. Ioelis 2. Ioh. 1. Apol. 15. Acto. 2.

15. Ab ipso enim ut vera Petra & angulari lapide profluit aqua vita, qua in aestu tentationum & afflictionum refrigeramur, Psal. 18 & 118. Num. 20. Ioh. 4 & 7.

16. Ab ipsius porro capite oleum gratiae in barbam & vestem Aaronis, id est, omnium fidelium ministrorum ac vere Christianorum prolabitur, Psal. 133.

17. Qui igitur cum fructu in sacris versari velint, a Christo ut Spiritus dona petant, necesse est, qui solus effundit de spiritu suo Spiritum gratiae & precum, Ioel. 2. Zachar. 12.

18. Ille autem ipse Spiritus nihil novi, aut proprium quid de suo nducit & annunciat, Ioh. 16.

Sed

Eodem modo Calvinum organon esse Spiritus sancti nostro seculo Calviniani seu Sacramentarij maximo zelo contendunt.

51 Vnum aut plures plerunq; articulos arripiunt, eosq; manifestè falsos, ex quibus colligi potest, quòd ex Diabolo sint: eos interea acriter defendunt, &c. Luth. in Evang. Dom. 8 Trinitatis. Tegunt enim mendacia dictis scriptura, 2 Timoth. 2.

52 Eiusmodi nebulones civitatem aliquam, qua longum tempus verbo divino usa fuit, in errorem unica concione ducere possunt, ut obliviscatur eorum, qua per decenniū audivit, Luth. Tom. 4. fol. 92.

53. Sunt periuri, id est, mendaces & calumniatores in Deum & homines, iuramenti minimè servantes, Esaia 48.

54 Nam, quia humanas traditiones & mendacia specie nominis divini ac prætectu verbi Dei, quòd docere sese quàm maxime affirmant, suasq; opiniones tantum tradunt, periuri meritò dicuntur. Ex eodem Esaia cap.

55 Eiusmodi enim concionibus & lepidis verbis animos vulgi, quòd ut plurimum decipiunt, occupant, et deceptos seducunt, Rom. 16. Luth. in sum. Psal. 36.

56 Sunt seditiosi: Nam tradita, proposita & hinc inde sparsa mendacia cade ac laniena obfignant, Luth. ibid. & in collo. fol. 356.

57 Sunt & immisericordes & immites, oderunt & extremè persequuntur quibus possunt vijs ac rationibus eos, qui in errores cum eis non consentiunt ac iurant, idquè summa securitate imperterriti malè exequentur, arbitantes Deo se officium in eo prestare, Luth. in sum. Psal. 36.

58 Et tantum sanè virus alunt, ut nullam in dissentientes misericordiam, patientiam aut amicitia officia exerceant, & si eiusmodi adversarios unica hora & momento in exitium corporis & animæ precipitare possent, sedulo idipsum prestarent, quem dolum caro & sanguis non animadvertunt. Interea tamen ovium vestitu incedunt, profitentur se ordinis esse quieti, unum eundemq; vivendi modum observantes, Luth. in Evang. Dom. 8. post Trinitatis.

59 Sunt pertinaces, impatientes admonitionum, Caput eorum

A 5

incude

incude durius. Quin imò, ubi animadvertunt aliorum correctiones, seq̃ minimè ab alijs laudari, furibundi, sicut Diabolus, exardescunt, Luth. in summario Psalmi 36.

60 Maxima tamen etiam inter Calvinianos est differentia, qua tantum pendet ex locis, in quib9 diversis vivunt: eaq̃ duplex est.

61 Primus ordo eorum est, qui ijs in locis degunt, ubi nihil impediuntur, ut in Gallijs, Subaudia: & ijs Germania locis, ubi Magistratus habent patrocinium, ut in Helvetia, Palatinatu, & alibi.

62 Sic Beza contra superiores theses, ut 28 et sequentes non fatetur, in Gallijs & Germania eandem tractari doctrinam, sed aperte statum Germania (quod ipse ex ore Bezae anno 84. Geneva audiivi) extremè deplorat, ut eius scripta quoq̃ manifestè testantur: & hoc ipsum ratione loci & personarum, quibus propositum ipsius non impeditur, sed magis promovetur.

63 Respectu itaq̃ Mundi, quantum ad externam actionem hic ordo magis ingenuè in theologicis agit, Tela etenim prævisa minus nocent: in Politicis, ubi res & eorum causa ita ferunt, nihilominus cum reliquis religionis consortibus nefariè insidias struunt, quando videlicet honores & dominatum sitiunt.

64 Alij Calvinianorum subdole & fraudulentè agunt: Primò enim nullum religionis discrimen, ut dictum est, habent: Deinde cum ea religione suam potissimùm doctrinam conferunt, cui maximè contraria est, & id coactè necessitatis ratione: Blanditijs præterea, atq̃ alijs adulandi artibus tam vulgus, quàm ipsum Magistratum, nullis in eo sumtibus, laboribus ac molestijs parcentes, sibi devinciunt: Eorum deniq̃ actiones, per quos propositi cursum impeditum iri sentiunt, studiosissimè disquirunt, amicè eos alloquuntur, animos eorū perdiscunt, sermones in Diarium referunt, ac pro affectuum libidine exponunt, & quemvis sensum eliciunt, eumq̃ pro vero spargunt & disseminant, alijsq̃ ea, quae ipsi parturiunt, vitia assingunt & κατὰ γράματα καὶ πρὸς ψήματα proscribunt, Luth. in Evang. Dom. 8. post Trinitatis, Item in sum. Psal. 36. & Tom. 6. in Gene. cap. 31. fol. 478.

65. Alij Calvinianorum errores quàm plurimi ex reliquis fidei articulis,

articulis, in quibus gravissimè hallucinantur, & in quos horribiliter impingunt, recenseri possent, verùm immensus ut ille labor ferè est, ita maiores ingenij vires requirit: Sufficiat hoc loco breviter indicasse, quanta pestis ac perniciës Ecclesiæ ab eiusmodi doctoribus falsis inferatur, qui sacris literis D. LVTHERO testi suffragantibus Spiritus sancti organa minimè haberi possunt aut debent.

66 Quemadmodum enim, si quis Morbidam factam pecudem, totum corrumpentem ovile, ceteri gregis salutem diceret, non indignè ab omnibus explodi: Ita etiam, si quis errorum ac mendaciorum propagatorem vas Spiritus sancti electum affirmaverit, similiter insaniæ atq; blasphemiæ meritò accusari, communis ratio facilimè dicitur.

67 DEVS aternus, Pater Domini nostri Iesu Christi, ita omnium animos comparet, ut communi tranquillitati & saluti consultum velint, & ad sananda vulnera, quæ amplius tegi non possunt, consilia atq; operas conferant, & quorundam audacem ac furiosam audaciam coherceri studeant, qui exulcerata veluti infestis unguibus lacerare non desistunt, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.



VIRTUTVM
SEPULTVRÆ

REVERENDO AC DO-
CTISS. VIRO, DN. CHRISTOPHORO
Cragio, Ecclesie Bergensis, in Diocesi Lunæbergensi, Pas-
tori, sincero veræ doctrinæ assertori, amico
suo perpetuò observando,
dedicata,

PAx, Pietas, Candor, Nemesis, Reverentia, Leges,
Invida, muta, lacer, pallida, fœda, vaga,
Membris, ore, fide, vultu, squallore, tenore:
Voce, sono, gemitu, pectore, flore, situ,
Insuetum, miserè, mœstum, gravè, tristè, perinde,
Flet, plangit, luget, congemit, horret, hiant:
Obvelat, velat, tegit, obtegit, umbrat, obumbrant,
Os, faciem, corpus, corda, caputq̃, libros:
Arma, dolos, labem: sediura, pudicitiam, vim,
Plorat, amat, suffert: negligit, odit, habent.

M. Ludolphus Rolevincus Magdeb.



AB

50A $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3
003 485 560




Sch

Rest.
Sep./Okt 84 Schuss.







256
13

13

PROPOSITIONES,

LIANOS,
VINIANOS,
ACRAMENTARIOS,

*is farina Hereticos, eviscerantes:
Spiritus sancti Organa non esse,*

Ex

*teris, Lutheri testimonijs ac
na experientia demonstrantes:*

ollectæ & in lucem æditæ

Per

Ludolphum Rolevincum.

Symbol. L. R.

*a gravis Vita, sed maior Honoris:
tibi Vita nihil, sicubi cassus Honor.*

Jerem. 48.

qui facit opus Domini fraudulentè.

MAGDEBURGI

nt Vuilhelmus Ross, Anno 1588.